37

DE SACROSANCTA
ET INDIVIDUA
TRINITATE
ORATIO

QUAM HABUIT IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO
XVII. Kal. Jul. MDCCLXXXIII.

AD SANCTISSIMUM D. N.

PIUM SEXTUM

MARCHIO HANNIBAL BELLISOMI
PATRITIUS PAPIENSIS
COLLEGII CLEMENTINI CONVICTOR.



ROMÆ M.DCC.LXXXIII.
EX TYPOGRAPHIA CRACAS
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIMO PATRI
AC DOMINO NOSTRO
PIO SEXTO
PONTIFICI MAXIMO

HANNIBAL BELLISOMI
FELICITATEM

CUM nuper Deum Unum, & Trinum oculis Fidei proſequutus, infinitam in eo poteſtatem, ſapientiam, ac beatitudinem deprehenderem; tum præſens Majeſtas tua, Beatissime Pater, *quamdam mihi Divinitatis imaginem propemodum adumbrare videbatur. Neque enim, quæ Dei ſunt, ea auſim cum homine, licet ſanctiſſimo, communicare; verum commode fit, ut, quem Dei Vicarium ſuſpicimus in Terris, eumdem ad Divinam ſimilitudinem quam propius accedere intelligamus. Hoc autem, ſive ex demandati tibi muneris ratione, ſive ex animi tui magnitudine, ſive, quod verius*

Digitized by Google

eſt, ex utroque ſimul proficiſci recognoſcimus, eximia profecto in illo Pontificiæ dignitatis gloria continetur. Quod enim in Clavium magiſterio ſuprema fungeris poteſtate, in eo divina eminet procuratio; quòd vero concreditum tibi divinitus Fidelium gregem verbo, & exemplo paſcis, ac ſervas, laus eſt, PATER BEATISSIME, *ſapientiæ tuæ. Illud etiam accedit, ut, quantum Pontificii oneris fert conditio, beatiſſimus idem ſis: ſi enim in eo ſita eſt beatitudo, ut, naturæ motibus bene compoſitis, ſumma quæque animo quiſpiam complectatur; moderatiſſimum te ſane omnium, cunctiſque numeris florentiſſimum admiramur. Quare gaude iſta tua, tum poteſtatis amplitudine, cum ſapientia, cum etiam felicitate: idemque patere, ut, quam de Myſterio* TRINITATIS *habui Orationem, eam tibi, quippe quæ quodammodo ad te pertinet, humillime devoveam, ac ſiſtam. Quod ſi mihi pro Clementiæ tuæ conſuetudine tribui, concedique ſentiam, pignus profecto ducam munificæ Caritatis, qua me, ſodaleſque meos jam ante tibi in perpetuum devinxiſti: pro quibus omnibus in genua provolutus Apoſtolicam Benedictionem efflagito.*

ORATIO

QUemadmodum, BEATISSIME PATER, ſtultæ, nefariæque arrogantiæ jure merito inſimulandus eſſet, qui ſolo rationis lumine Deum, ſicuti eſt, introſpicere, expreſſamque illius naturæ imaginem in animum inducere ſibi ſumeret; ita, qui Deum ipſum, prout homini datum eſt, cognoſcere negligeret, turpis, pernicioſæque nequitiæ idem eſſet procul dubio redarguendus. Cum enim alter per mentis temeritatem Fidei religionem violaret, ſalutiſque omnis fundamentum ſceleratè convelleret; alter per animi deſidiam, Deum, quem ignoraret, debito haudquaquam cultu proſequi poſſet. Quare nec humanæ rationi adeo tribuendum eſt, ut exinde intercidat Fides, nec de illa tam ignaviter ſentiendum, ut in re ſumma, atque ad ſalutem maxime neceſſaria eam-

Digitized by Google

dem obdormiſcere patiamur. Immo vero, quoniam id nobis Divinitus tributum eſt, in ſubſidium rationis vocemus Fidem, ut, quod per mentis nequimus difficultatem, illud per divinæ adjutricis oculos contemplemur. Cum igitur veri cultus, noſtræque ſalutis ratio accuratam Dei cognitionem omnimode expoſtulet, cumque hæc a Fidei tantum oraculo petenda ſit; illud profecto ſequitur, ut, quid dignum de Deo ſentire, quibuſque præſertim officiis eumdem percoli oporteat, a Parente fidelium Eccleſia, quæ veritatis magiſtra eſt, præter erroris periculum ſciſcitemur. Hanc autem ſi quoquo tempore, tum in hoc potiſſimum Trinitatis ſolemni conſuluerimus, paucis his ſane verbis *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia* habebimus reſponſum ejuſmodi, quo æqua Divinitatis idea, noſtrique erga illam doctrina cultus contineatur.

Ac primo quidem, ſimul ac Fide ſuffulti Deum cogitatione proſequimur, in eo procul dubio, ex quo omnia proficiſcuntur, eminet, atque ultro animo occurrit infinita rerum omnium affluentia, ac poteſtas. Quamvis enim Deus quam longiſſime ab humanis ſenſibus diſtet, tum etiam, ut ait Apoſtolus, lucem undequaque inhabitet inacceſſibilem; ea tamen Fidei vis eſt, ut illum mentis oculis quodammodo admoveat, atque ens prorſus neceſſarium, æternum, immutabile, omniſque principium Creationis abſque principio nobis cognoſcendum proponat. Quis autem, ne dum dicendo, verum cogitando conſequi poſſit infinitam rerum, tum exiſtentium, cum poſſibilium, tum

cor-

Digitized by Google

corporearum, cum ſpiritualium, tum viſibilium, cum inviſibilium congeriem; quæ Dei mente ſuo quæque loco, atque ordine continentur? Non enim hujus tantummodo aſpectabilis rerum univerſitatis primigenius typus, non numeroſus ſphærarum cœleſtium motus, non inexhauſta Terræ fertilitas, non immenſitas Marium, non ſpatia denique aeris infinita, verum & aliorum, tum varietate admirabilium, tum infinitorum numero, tum etiam artificio præſtantiſſimorum Orbium Archetypi Dei menti perpetuo obverſantur: neque præcellens ſolum noſtrorum corporum ſtructura, aut imago animorum pœne Divina, aut variæ ſuperorum ſpirituum naturæ Omnipotenti adeſſe intelliguntur; ſed quotquot corporum, ſive ſtructura potiorum, ſive forma elegantiorum, quotquot pariter animorum ad Dei ſimilitudinem, nobilitatemque propius accedentium, quotquot tandem Poteſtatum ſpiritualium, cum innumerabilium, tum diſſimilium, tum quoque natura maxime excellentium imagines concipi poſſunt, eas profecto omnes continenter mens divina intuetur. Quidquid demum, aut eſt, aut animus excogitare poteſt, aut ſuprema intelligendi vis in infinitum conſequi valet, totum, inquam, in Deo rerum omnium fonte reperitur. Quis porro cum tanta mentis divinæ fœcunditate parem omnino potentiam conjunctam eſſe non ſentiat? Quid eſt tam magnum, aut tam difficile, quod illius poteſtatis magnitudinem, aut excedere, aut æquiparare videatur? Immo vero quidnam aliud a Deo difficillima quæque poſtulant, niſi nutum ſimpliciſſi-

Digitized by Google

ciſſimum, eumdemque facillimum voluntatis? Nihil eſt enim majus, quam quod Deus poſſit; nihil facilius, quàm ut velit. Quare cum omnia a Deo proficiſci perſpicuum ſit, merito iis Eccleſiæ vocibus *ex quo omnia* infinitam Dei potentiam deſignari, atque exprimi judicamus.

Age nunc, ex quo omnia, tanquam ab univerſæ Creationis principio, derivantur, idem quoque, quod hiſce verbis innuitur *per quem omnia*; cuncta ad ſui libitum feliciſſime abſolvit. In quo quidem ineffabilis Dei ſapientia ita emicat, & excellit, ut oculis propemodum cerni poſſit: quocirca rationis plane expertes eſſe videremur, ſi cæco caſui, fortuitoque atomorum concurſui, quod optimi conſilii eſt, tribuendum eſſe cenſeremus. Effingamus, quæſo, animo Omnipotentem uno, ſive verbo, ſive tacito voluntatis actu Cœlum, Terramque ex nihilo educentem, atque creantem. Qui horror! Quæ ſolitudo! Qui aſpectus Terræ inanis, & vacuæ, tenebrarumque ſuper faciem Abyſſi incumbentium! Ecce autem de repente Spiritus Domini fertur ſuper aquas, eaſque legibus, ac finibus certis a continente ripa diſterminat. Coacervatas undequaque propulſat tenebras; ac pro diei, noctiſque viciſſitudine Solem, Lunamque conſtituit. Firmamentum diſtinguit Stellis, quæ variis, iiſque æquabilibus orbibus contineantur; Terram diverſo, tum animalium, cum vegetabilium habitu prætexit; Congregationem denique aquarum omni piſcium genere prope infinito refercit. Quæ quidem omnia ſimul ac ſapientiſſimo artificio condita, perpolita, ac firmiter

Digitized by Google

ter a Deo ſtatuta ſunt, ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam effingit hominem, cui eadem uſui eſſe debeant; eumque operum univerſorum jubet eſſe moderatorem, ac Principem. Quid horum, obſecro, admirabilem Conditoris Sapientiam minime demonſtrat? Quid non in menſura, ac pondere conſtitutum? Quid non denique, tum Dei conſilio conſentaneum, tum hominis commodo inſerviens, tum etiam in ſe eximium dignoſcitur? Sive enim tota rerum univerſitas ſpectetur ſimul, ſive ſingillatim Mundi machina conſideretur, tot, tantaque in quibuslibet profecto partibus ſapientiæ exhibet monumenta, ut ratio humana non modo admiratione perculſa, verum etiam tantarum rerum magnitudine pœne obruta eſſe videatur. Ut autem de Cœlo taceam, quod paribus, iiſque firmiſſimis legibus, Aſtrorum curſus exercet; ut terram præteream, quæ in perpetua corporum ſuorum converſione eadem ſemper, atque æque fœcunda perſiſtit; ut tandem ommittam maria, quæ certis detenta finibus primo Diviſoris imperio famulantur; unum profecto hominem, Dei operum poſtremum ordine, nobilitate facile principem, teſtem Divinæ Sapientiæ graviſſimum, atque honorificentiſſimum habemus. Cum vero appello hominem, non pulchram, & idoneam illius corporis conformationem intelligo, quæ tamen ſola ſapientiſſimum oſtendit artificem, verum animi originem, præſtantiam, facultates, prærogativas denique omnes: quæ cum a Deo profecta ſint, quamdam illi cum Deo ipſo neceſſitudinis rationem conſtituunt. Quibus omnibus ſi po-

poſtremum illud accedat, quod Deus univerſæ rerum creationi hominem ad ſui imaginem comparatum præfecerit, nihil ſane amplius deſiderari poterit, ut ſummam plane ſapientiam in ſingulis Dei operibus occurrere, atque eminere fateamur.

Jam vero, quem ex hactenus demonſtratis Omnipotentem, ac ſapientiſſimum recognoſcimus, idem quoque beatiſſimus Fide tenendus eſt. Atque hoc tertium eſt illud *in quo omnia*, quod de Deo profitetur, ac docet Sancta Mater Eccleſia. Non enim Deum ullum poſſumus concipere, cui quidquam boni fortaſſe deſit; tum, niſi ſumma omnia idem habeat, Dei idea corruat, neceſſe eſt. Hæc autem, quæ neceſſario Deo convenit, beatitudo adeo ejus eſt propria, ut ab eo nullo modo ſejungi poſſit; ac tuta, jucundaque bonorum omnium poſſeſſione definitur. Quare cum Deus natura ſua ſummarum quarumque rerum copiam contineat, nequit profecto, quin omni tempore ſe beatiſſimum ſentiat. Quidquod ipſe per Cœleſtium munerum effuſionem homines ſuæ conſortes beatitudinis perſæpe gaudet efficere; cum ad ipſius gloriam non parum redundet, ſi in ejuſdem ſtatus ſocietatem hominem a ſe conditum vocet. Hæc autem prærogativa iis potiſſimum ſtatuta eſt, qui per religioſum Legis Divinæ cultum, virtutumque omnium exercitationem digni Deo hoſpites judicantur; qua quidem cumulatam, & æternam aliquando beatitudinem ſibi ipſi deſpondent. Etenim qui hominis principium, idem & finis; quique diſtributor Gratiæ, Gloriæ largitor eſt Deus. Peregrinamur ſcilicet, quoad vivimus, a Domino, adver-


verſiſque cupiditatum fluctibus concuſſi numquam nos beatos, aut tutos, aut pacatos ſentimus, donec animus, quaſi in portu, in Dei tandem gremio conquieſcat. Quapropter cum & ipſa Dei idea perfectam in eo felicitatem neceſſario recquirat, & cum viatoribus perſæpe Deus per Gratiæ ſuavitatem gaudeat beatitudinem communicare, & ſempiternum comprehenſorum gaudium per ſe ipſe conſtituat in Cœlis; jam hoc Fidei ſimul, ac rationi conſonum conſequitur, ut univerſam bonorum copiam, quod ultro profitetur Eccleſia, Deo ipſi ineſſe judicemus.

Quamquam, quæ generatim de Deo prædicavimus, ad ſingulas Trinitatis Perſonas pertinere perſpicuum eſt. Siquidem rerum omnium poteſtas convenit potiſſimum Deo Patri, ſive quod ipſe æternæ generationis principium ſit, ſive quod Creationis opera, quæ, cum ad naturam ſpectent, omnibus perſonis communia ſunt, noſtro cogitandi modo Patri a Theologis tribuantur. Sapientia, vero, per quam omnia ſunt facta, cujus ſit tam propria, quam Filii, qui tum ſplendor eſt gloriæ ac figura ſubſtantiæ Patris, tum maximum ſapientiæ exhibuit teſtimonium, cum Divinitatis jura violata cum humani generis incolumitate conciliavit? Beatitudinem tandem, quæ in bonorum omnium affluentia conſiſtit, in Spiritu Sancto omnino cogimur recognoſcere, qui cum mutuæ Patris, ac Filii dilectionis ſpiratio ſit, totam in ſe Patris, Filiique caritatem, unde beatitudo oritur, comprehendit.

Quod

Quod autem ad cultus, quo TRINITATEM proſequi debemus, naturam pertinet, adoremus cum timore, & tremore Patrem, Conditorem omnium Omnipotentem, operum noſtrorum Cognitorem, eumdemque præmii, vel pœnæ diſtributorem juſtiſſimum. Confugiamus cum bona ſpe, & expectatione ad Filium, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ut, quos ſemel ſanguine redemit, eos per Redemptionis promerita tueatur ſemper, ac ſervet. Amemus Paraclitum Sanctum, qui dat profecto, ut amemus; in eoque tributam ab ipſo dilectionem exerceamus, ut per novas virtutum progreſſiones Deo quotidie magis adhæreamus, beatiſſimo illius aſpectu aliquando in perpetuum gaviſuri.

ROMA



Digitized by Google